



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Capvt V. Quid peccet qui aliquid omittit in Missa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

se, imò nec veniale ex se, nisi forte aliquando per accidens. Singula probo, ac explico.

5. Dico enim Primo, non esse mortale (excipe semper circa scandalum grave, quod tamen difficiliter hic occurrere potest, & circa animum inducendi novum ritum, quæ duo semper excepta intelliguntur, & Ratio est Primo, quia hoc nihil aliud tandem est, nisi addere, vel mutare aliquid accidentale in Missa. At infra cap. 5. dicemus id aliquando non esse mortale propter parvitatem materiæ, cum igitur in casu nostro, aquam, vinumque esse minus, vel magis frigida, vel calida, accidentale, & satis modicum sit, ad mortale nequaquam pervenit. Prædicta rei parvitas fortasse movit Innocentium IV. in Bulla de Gracis, ab ipso edita ann. 1254. in tom. 1. Bullarj, ut Græcorum morem non reprobareret, calidam aquam Calici infundendum Aquam (inquit) sive calida, sive frigida adhibeatur in Sacrificio Altaris.

6. Secundò, quia quo magis aqua naturali utor, eo longius à peccato recedo, quia me conformem reddo consuetudini Ecclesiæ naturalem aquam exposcentis. At cum frigus sit aquæ connaturalis, eam infigidando, magis, ut ita dicam, naturalem eandem reddo, recedo igitur magis à peccato. Atque ex hac ratione sit, ut si calidam aquam apponere esset peccatum, non tamen esset calidam aquam apponere frigidam, quia ibi adderem aquam ad esse accidentali ipsi connaturali, hic ad esse connaturale reducerem, sed nec ibi peccatum, saltem mortale esse, ex aliis rationibus constat.

7. Tertiò, quia dum in partibus Borealiibus frigidissima, ut solet ibi esse, aqua, vel vinum apponitur in Calice, non peccatur, quia apponitur id, quod ibi communiter est in usu hominum: sed per nivem in nostris regionibus aqua, vel vinum non nisi similem frigiditatem concipit, & ex alia parte iam nunc in omnium etiam medicorum hominum mensis usus est. Ergo nec similiter peccatur. Dices. At ibi nullo artificio, hic aliquo utimur. Respondet. Non video, si arte quæcumque posita, remanet aqua naturalis, & pura, & vinum simili arte, remanet merum item & naturale, ut supponimus, cur ars nobis obstat debeat? Sane si vinum posset aliquo artificio, sine unctione alterius substantiæ generosius reddi, talisne ars impediret, quominus posset cum laude adhiberi in Sacrificio? nihil igitur officit ars.

8. Quartò, quia non constat consuetudinem Ecclesiæ apponendi aquam ut casu invenitur in amphora, vel in fonte, & vinum, ut invenitur in dolio, esse obligantem sub mortali, ergo non est tenendum sub mortali obligare. Hoc modo argumentandi, & nos l. 1. c. 6. §. 2. num. 3. & n. 5. & alibi, usi frequenter sumus, & passim Doctores, Moral. de Euch. disp. 2. diff. 3. circa initium alique, Suar. de Sac. disp. 8. sect. 1. §. 1. Hac res, in similibus utuntur.

9. Ad auctoritatem Suarj dico contrarium ab ipso non doceri, si attente legatur. Fagundes vero ideo (puto) docet esse mortale calidam aquam apponere, quia supponit, id fieri, ad inducendum novum ritum Ecclesiæ Græcæ calidam apponentis.

10. Dico Secundò, nec peccari venialiter ex obiecto, ex obiecto, inquam, propter ea, quæ mox num. seq. dicam. Ratio est, quia nihil fit contra reverentiam Sacramenti nec contra consuetudinem, quæ constat obligare etiam sub veniali.

Confirmo, quia id potest non ratio fieri cum perico; Die quælo qui in festis solemnioribus (ut certè passim facere consuevimus) vinum Appium, Creticum, Chium, brevier, vinum generosissimum, panemque primarium præparat Sacerdotibus ad Consecrationem: sicuti, & ille, qui cætera omnia, & meliora, & præstantiora ad festi pompam diligenter promit, laudandusne erit, an vituperandus? Certè magnopere commendandus, qui magnificentius, quam potest, res conditoris nostri tractet. Cum igitur præstantius sit in Sacrificio, sicuti & in Convivio, vinum & aquam gelidam apponere,

Par. II.

cur volenti meliora quæque pro Domino profundere, merito non adscribetur? Quod si quis iis uteretur ad delicæas, ipsi imputetur: sicuti eidem imputaretur, si vinum generosum, si odoramenta per Templum sparsa, si vestes aureas, & similia in festis adhiberi consueta, ad vanitatem vertere, minus sapienter, veller.

11. Dico Tertiò. Si quis, data opera, ad meram gustus delectationem, iis gelidis liquoribus, in Missa, uti veller, peccare venialiter mihi dubium non est, sicuti, si ad similem finem, vinum generosum adhiberet. Ratio est, quia nonnulla inconvenientia, & irreverentia est, in eo loco, & ministerio, corporalem delectationem velle capere: aio tamen id per accidens esse, ratione talis personæ, perperam operantis; nec excedere fines peccati venialis, quia culpa est in materia ex genere suo, levi, neque ex se, redundanti in gravem injuriam Sacramenti.

CAP V. V.

Quid peccet, qui aliquid omittit, vel addit in Missa.

§. I. Premittitur obligatio, quam inducunt Rubricæ Missalis.

1. Rubricarum, aliarum sunt Præceptivæ, Directivæ aliarum. Illæ obligant ad mortale ex genere suo: nisi excuset parvitas materiæ, vel inadvertentia: hæ, cum sint de consilio, non obligant, saltem, sub mortali. Ita Delugo de Euch. disp. 20. sect. 4. num. 104. March. de or. tract. 3. p. 3. cap. 6. Gavanto in Rubr. Miss. p. 3. tit. 11. Difficultas autem est in tradenda regula, qua dignoscatur, has esse præceptivas, illas non item.

2. Ex multis dictis à Gavanto ibid. in hanc rem, colligi posset hæc regula. Illæ Rubricæ, in quibus dicitur graviter, vel gravissimè peccari à transgressore, & illæ, in quibus agitur de integritate Sacrificij vel Sacramenti, & illæ, in quibus Doctores communiter cognoscunt gravitatem, sunt præceptivæ, atque adeo eas non observans, peccat mortaliter: cæteræ sunt, vel propè præceptivæ, vel dubiæ, vel merè directivæ, atque adeo non peccat transgressor.

3. Vides hanc regulam non esse admodum expeditam; Expeditior ergo est illa, quam affert Marchinus ibid. Delugo ibid. alique. Omnes rubricæ sunt, ut tales, directivæ: & solum illæ censendæ sunt præceptivæ quæ continent, seu notant aliquid, quod alias ex iure, vel ex legissima consuetudine graviter iubentur, vel ipsæ Rubricæ expressè sub mortali præcipiunt. Ratio huius regulæ est, quia ex una parte, Rubrica nihil aliud ex se est, nisi mera quædam magis ductio circa ea, quæ dicenda, faciendaque sunt, rubro colore solita scribi, & ex alia, si aliunde etiam à conditore ipsarum Rubricarum, qui tandem est Summus Pontifex, habeatur, quod id, quod notatur, sit de præcepto, non potest tale non esse.

4. Hinc Rubricæ de servando jejunio ante celebrationem Missæ, De integritate Sacrificij, De loco celebrandi, De præmittenda Confessione, De Ara consecrata, De vestimentis, instrumentisque Sacris, De materiæ Sacramenti, id est, pane triticeo. Vinoque de vite, De pane azymo in Ecclesia Latina, De reverentia tanto Sacrificio debita, & si quæ alia sunt similia, meritò sunt præceptivæ, quia vel à iure naturæ, vel Divino Christi Domini, vel Ecclesiastico præcipiuntur.

5. Contra, Rubricæ de orando ante, vel post Missam: De numero Orationum, de servando officio duplici primæ classis, vel secundæ, & similibus, cum non præcipiantur ab ullo iure, solum erunt directivæ sine cedere peccati mortalis.

6. Excipe Primo, ne negligantur hæ cum scandalo vel ex contemptu, ad quem contemptum reducit

M 2

Gavan

Gavantus in Rubr. Missæ. p. 3. t. 11. n. 13. illam intolerabilem negligentiam, qua quis non curat eas perpetuo seu, ut plurimum, non servare, hic enim implicite videtur contemnere.

7. Excipe secundo, si negligantur animo inducendi novum ritum in Ecclesia, hoc enim, per se grave est, graviterque prohibitum à Pio V. initio Missalis, Quo primum tempore, & Concilio Tridentino sess. 22. in Decreto de observand. &c. Adverte has etiam exceptiones fundari in secunda parte regule datae.

8. Porro ex hac regula, & habendo semper præ oculis parvitatem, vel gravitatem materiæ, quod est universale in omnibus præceptis, facile colligemus quid in singulis Rubricis sentiendum sit. Quoniam verò id in toto hoc opere spatium à nobis factum est, solum aliqua hujus loci, propositique tituli propria breviter addemus.

§. II. Ne quid omittatur in Missa.

1. Nilhil omittendum in Missa: qui secus faxit, per se mortaliter peccat. Ratio est, tum antiquus Ecclesiæ sensus, & praxis: Tum autoritas Tridentini, & Pij V. Tum recepti ipsius nota gravitas.

2. Dico (per se) nam, ut modo innuimus, semper aliquid excusabit levitas materiæ, sicut etiam leviter culpabilis inadvertentia, vel ignorantia, quæ perfecte item excusabit, si perfecte, & omnino fuerit inculpabilis. Discutamus per aliqua, unde & alia similia decerni possint.

De omissione aliquorum quæ recitanda sunt in Missa.

3. Omittere illud (enim) in verbis Consecrationis Calicis, putant aliqui apud Suar. de Sacram. d. 59. sect. 1. §. Sed quæres, mortalem esse culpam; mihi, & aliis multis apud eundem, præciso contemptu, non videtur mortalis, quia in omissione unus particula, quæ non est de substantia Consecrationis, non apparet gravitas. Imò si ex contemptu omittatur, non esse certum, an sit mortale, docet Sotus in 4. d. 1. quest. 1. art. 8. §. Si autem, siquidem etiam contemptus potest esse veniale ex parvitate materiæ. Audi eundem ibid. disputantem de levibus vocum corruptionibus. Si feret (inquit) ex negligentia quantumvis crassa, & supina corruptio hac, atque alia ejusmodi parva, non esset nisi veniale. Imò quævis non adhibeatur diligentia proferendi, in finale in meum, vel si forte non proferatur, in in verbo, est, nullam profecto reor culpam incurri. Deus enim non est tam isarum minutiarum observator. Hæc Sotus.

4. Omittere unum verbum in Canone esse mortale, aliqui affirmant: Sed certè, licet minor omisso sufficiat ad constituendum mortale tam in Canone propter ejus reverentiam, quam in aliis Missæ partibus, tamen omittere unum, aut alterum verbum, non excedere lineam levitatis, merito communiter censent Doctores cum Suar. de Sacram. d. 83. sect. 3. §. Dico primo, circa finem. Unde rectè Suarez ibid. omittere tempore, v.g. Paschali, quæ interponenda sunt in oratione, Communicantes, vel in oratione, Hanc igitur, docet non esse mortale, idemque de omittente aliquem Sanctum ex iis, qui in Canone ponuntur, docet Filiucius tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 155.

5. Omittere Symbolum Apostolicum, quando est dicendum, vel Gloria, vel unam alteramve orationem, vel propter paritatem rationis, Evangelium ultimum, non est mortale ex levitate materiæ. Ita Delugo, de Euch. d. 20. sect. 4. n. 104.

6. Idem erit, si Sacerdos sollemniter celebrans omittet legere Evangelium, vel Epistolam, dum Diaconus, vel Subdiaconus eacantat: quævis enim Rubricæ, sive præceptivæ, ut aliqui dicunt, sive directivæ, ut alij putant, ordinant apud Dian. p. 5. tract. 13. ref. 95.

ejusmodi submissam lectionem: talis tamen reformationis omisso res exigua videtur. Ita idem ibid.

Imò Sanch. lib. 7. conf. c. 2. dub. 13. num. 3. ex aliis citatis à Dian. p. 2. tract. 14. ref. 42. & p. 2. ref. 95. contra Sæ citatum ab eodem, probabile est, Sacerdotem celebrantem cum Diacono, & diacono melius facturum, si dum hi cantant Evangelium, & Evangelium, ipse attentè audiat, nec egeret. Ratio esse potest, quia ex una parte Rubricæ non debent recitari, est solum directiva, & Epistola, & Evangelium in Missa sollemniter, & Ministrorum, non Sacerdotis celebrantis; licet ex Sanch. ibid. Suar. tr. 2. de Rel. lib. 4. de ora. cap. 2. Officium in choro recitantes satisfaciunt solum, tæ audiendo lectiones, Capitula, Orationes, & alij juxta chori alternationem, soli dicunt, tamen beneficerent si recitarent, quia obmutumtando essent fortè molesti, ita in calu nostro devotus populus audiet.

Quod dixi, extendo libens ad Gloria, Credo, & phetias Sabbathi sancti, aut Passionem Domini, & milia; quæ in maiori hebdomada, & in Missa celebrantibus aliis quàm Celebrante cantari solent, par enim hæc ac de illis esse videtur.

De omissione Oblationis, & obiter de Particulis consecrandis, quæ post oblationem apponuntur.

7. Omittere oblationem Hostiæ, vel Calicis, est bio grave quid est, ut etiam omittere infusorem calicis aquæ in Calicem, pertinent enim hæc maxime ad Sacrificium, & ad mysterium. Ita Dodonæus citandi, & passim.

8. Sed quid faciet Sacerdos, si post Offertorium, est, facta oblatione Hostiæ grandioris, super veniale crista, vel alius, qui afferat alias Particulas consecrandas ad communicandum populum?

Bonacina de Sacram. d. 4. q. ult. p. m. 2. nam 6. innat, dictas particulas tunc non posse consecrari, sed vinus de off. curati cap. 2. num. 2. posse, idque, eas offerendo de novo, vel etiam non offerendo, sicut in Rub. Missæ. p. 3. tr. 10. n. 29. posse consecrari, sed satis esse, si mente offerantur. Adhuc men id non debere fieri, si afferantur remota oblatione Hostiæ grandioris, puta, post Præfationem.

9. Dico breviter duo. Primò posse consecrari, & eundem cum Gavanto expeditius esse, & tutius, si eundem offerantur, oblatione mente concepta: necesse est & iamponitur substantia oblationis, & ordo Missæ, quaquam turbatur.

10. Dico Secundo, me non approbare, quod Gavantus, nam si id potest fieri proxime ad oblationem, non apparet ratio convincens, cur non possit remota.

11. Dicit fortasse Gavantus, si afferantur remota oblatione, multæ ceremoniæ, & Orationes, quæ recitantur super Oblata, non erunt dictæ super huius particulas tardè allatas.

Respondeo, sufficere, quod ejusmodi orationes actionesque exhibitæ fuerint super Hostiæ grandioris, quam allatæ hæc particulae sunt accessoriae. Id quod culpa gravi excusabit, ut in simili mox dicam, non veniale verò, si qua esset, excusare poterit populi communicaturi commoditas, vel ne palam reprehendatur crista, qui tardè particulas attulit, vel quid simile.

De Omissionem Signorum super Particulas consecrandas. 12. Sacerdos quidam statim, atque Particulas, & stiamque grandiore consecravit, Pixidem Particulas dictas continentem intra Sacristiam, seu Tabernaculum includit. Imò aliquando statim eas debet alio Sacerdoti, quas populo communicatio in alio

distibueret, & sic omnia sunt super eas consueti signa, & orationes. Faciuntne id rite est? Non esse rite faciunt, docet DeMingo, de Eucharist. disp. 20. sect. 2. cum, & merito, debuerunt enim reijungi particulae remanere super Aram consecratam coram Sacerdote, sicut usque ad Communionem includere. Ratio est, quia cum haec faciant unum Sacrificium cum Hostia grandiore, non debent ante Sacerdotis Communionem, quando Sacrificium completur, distrahi a Sacrificio.

13. Non puto tamen illum Sacerdotem peccasse saltem mortaliter: nam quamvis egerit contra Rubricas dispositas, quod tunc illa particula ponatur super Corporale, ante Calicem, aut in aliquo vase retro post Calicem; nihilominus cum remaneat Hostia grandior, veluti ceteras representans, quas consummari perfectè potest Sacrificium, non videtur res gravis, abesse parvas. Quod si adfuit necessitas expediendi Communionem populi, praedictum Sacerdotem excusatum omnino fuisse, nullus dubitat.

De Omissione ritus proprii.

14. Ritus Missalis Romani à Pio V. editi observandos esse in Ecclesia Latina ab omnibus, iussit idem Pius in princip. Missalis. Quo primum tempore; confirmavitque Clemens ibid. cum Sanctissimum, & Urbanus, ibid. Si quid est, uterque Octavus; excipit tamen eos, quibus in aliqua particulari Ecclesia fortè contingat, alios Missae ritus observare, idque sive ex prima institutione per Summum Pontificem facta inde à ducentis annis, sive ex antiqua consuetudine per similes ducentos annos usurpata, quos quidem, quamvis, ut dico, excipiat, permittit nihilominus iisdem, ut cum licentia Episcopi, vel Praelati, totiusque Capituli possint dictos Missalis Romani Ritus amplecti.

15. Jam, ex hac concessione oritur dubium, Equid faciet Sacerdos Romani (ut claritatis gratia sic loquar) Ritus, si inveniatur in loco ubi servatur Missale non Romanum: in Ecclesia, v.g. Ordinis Carmelitani, vel in Templo Ambrosiano Mediolani, & contra. Quid faciet Sacerdos Carmelita, vel Ambrosianus, in Ecclesia, ubi servatur Missale Romanum.

16. Non loquimur autem hic; ut vides, de Ritu universali Ecclesiae Latinae, vel Graecae, quoad Azinum, vel Ementatum, & similia, de hoc enim satis superque egimus in Opusculo de expedienda Communione, cap. 2. §. 6. sed de his Ritibus satis accidentalibus in Ecclesia eadem Latina diversis, quoad quasdam Orationes, Ceremonias, Rubricas, &c. Quatuor dictis rem expeditio.

17. Dico primo. Sacerdos, qui est membrum alicujus Ecclesiae, sive Romani, sive Ambrosiani Ritus, v.g. sine controversia tenetur servare Ritus etiam accidentalem inibi receptum. Ratio est, quia, ut ibid. diximus, quilibet tenetur Ritus in sua Ecclesia receptum custodire.

18. Hinc etiam fit, ut qui ex una Ecclesia transeat in aliam, & domicilium ibi figat, animo ibidem perpetuo manendi, vel etiam manendi per majorem anni partem, teneatur ejusdem Ecclesiae Ritus servare, quia jam ejus est membrum, & pars. Ita Coninch. de Euch. q. 74. art. 4. d. 4. n. 15. Quare Sacerdos Romanus si fiat, v.g. Carmelita, vel Mediolanensis Ecclesiae, vel contra, Ritus suscipere Ecclesiae amplecti debet.

19. Dico Secundo. Si Sacerdos proprii Ritus, v.g. Ambrosiani per territorium inveniatur in territorio, ubi servatur Missale Romanum, vel Sacerdos communis Romani Ritus, si transeat per territorium, ubi servatur Missale non Romanum, potest, vel Ecclesiae suae Ritus, vel Ritus loci, per quem transit, in Missa, & Officio, ut liber, observare. Ita Coninch. de Euch. q. 83. art. 1. num. 268. & quest. 74. art. 4. d. 4. num. 115. Prap. 37. quest. 83. art. 4. d. 5. num. 190. Ratio est eadem, quam Pars 11.

diximus Opusculo, de exped. com. loc. cit. quia est probabilissima sententia peregrinum posse se accommodare legibus, & consuetudinibus loci, per quem transit, si velit non tamen teneri, siquidem potest sui loci consuetudines sequi.

Dixi (Sacerdos communis) propter ea, quae mox addi. 20. Dico enim Tertio, quod si Religioso Romano transeunti per dictum territorium diversi Ritus, contingat Sacrum facere in Ecclesia sui Ordinis ibidem existente, in qua servatur Ritus Romanus, quales multae solent esse in ejusmodi Diocesis, ut contingit in Mediolanensi, tunc talis Religiosus debet servare Ritus Romanum, quamvis in rota civitate alius Ritus observetur. Ratio est, quia cum in Ecclesia talis Ordinis, servetur Missale Romanum, ipse vero sit membrum talis Ordinis, illi se debet conformare.

21. Dico Quarto. Si Sacerdoti Romano transeunti per Diocesim, ubi servatur Ritus Romanus, contingat Sacrum facere in Ecclesia, ubi servatur Ritus diversus, tenetur ibi Romanum Ritus servare, non verò potest diversum, v.g. Carmelitarum. Ratio ducitur ex dictis num. 1. quia illud privilegium de sequendo diverso Ritu Romano, solum est pro Carmelitis, non verò pro aliis.

22. Sed quid faciet Sacerdos Romanus, si inveniatur in Ecclesia, v.g. Carmelitana, velitque Sacrum facere, nec suppetat copia Missalis Romani? Respondeo. Author huic essem, ut, si non adfit causa, abstineret à celebrando, quia hi ritus, licet accidentales, judicantur tamen alicujus momenti, atque adeo à suis custodiendi. Si adfit causa, pensetur gravitas causae, diversitasque Ritus suscipiendi, & juxta dicenda num. 30. fiat quod expedite judicabitur.

Illud certè mihi accidit, cum essem junior, quod invitatus ad celebrandum in die festo in Ecclesia Carmelitana cum progressus essem ultra in Sacro, adverti Missale, quo utebar, esse Ordinis illius, nec posse sine aliqua altantium admiratione Romanum petere: unde judicavi, ex tali causa, illo tunc, & non Romano uti, mihi licuisse.

Omissa an & qua ratione suppleri debeant.

23. Si quis paululum in Missa procedens advertat se aliquid omisisse, obligaturne id repetere?

Et quidem cum essem Novitius, & in Sacrificia fortè adesssem; vidi Sacerdotem quendam satis scrupulosum, qui, quia per inadvertentiam omisit legere Evangelium, quod eo die legendum erat in fine Missae, loco initij sancti Joannis, voluit illud, spoliatis Sacris vestibus, in Sacrificia legendo supplere: imò, & Ministrum admonuit, ut sibi legendi praesto esset, quia erat dies festus, de praecepto. Sed jam, ex tunc, adverti superfluum religionem, nec Evangelium privatim recitatum potuisse esse partem publici Sacrificij.

24. Dico cum Suar. de Sac. disp. 81. sect. 2. §. 2. in genere, non esse regulariter repetendum, quia id non potest commodè fieri, & turbaretur Missae ordo.

25. Dixi (regulariter) si enim de substantia sit id, quod omissum est, ut aliquid, v.g. pertineas ad consecrationem, debere repeti, certum est. Monet tamen Coninch. de Euch. q. 83. art. 6. n. 281. quando Sacerdos est in progressu Sacri, ne facile sibi persuadeat aliquid omisisse: in iis enim, quae saepe recitamus, difficulter propter cohaerentiam verborum, vel parum quod omittitur sine advertentia. Rectè: nam experimur non raro difficiliter nos recitare posse Orationem, v.g. Dominicalem omittendo duo, vel tria verba in ejus medio, quam integrè profetendo.

26. Dixi iterum (regulariter) nam si quis dum secretè orat, certò, post pauca verba, advertat, se aliquid notabile, quamvis accidentale omisisse, puto cum Suar. de Sacrament. disp. 85. sect. 2. §. 2. in genere, non esse inconveniens, imò necessarium, tunc repetere, quia

M 3 id,

id, & commodè fieri potest, nec in tali casu notabiliter turbaretur Missæ ordo. Quid enim turbationis est, si certo advertens me non dixisse v.g. Orationem *Communianem* dicendam in die Paschatis, paululum progressus regrediar ad eam recitandam? Nota illud (*paululum*) & illud (*certo*) & illud (*dum secretè orat*) nam in Orationibus publicis valde modicus debet esse progressus, ut regredi ad supplendum obligaretur Sacerdos, quia in publicis facillimum est turbationis, & populi admirationis periculum.

An propter Impotentiam omiti aliquid possit in Missa.

27. Vel ante inchoatam Missam prævidetur impotentia, vel ipsa inchoata. Deficit, v. g. aqua, quæ misceri debet cum vino. Id potes prævidere, antequam Missam incipias, vel ipsa incepta, quando, v.g. urget tempus miscendi.

28. Si ante prævidetur, regulariter, debet Missa omiti. Ita Suar. de Sacram. disp. 85. sect. 2. citata. Dico regulariter, nam si res sit parvi momenti, ut si prævidetur desse Campanulam, vel tertium cereum in elevatione accendendum, tunc non esset Missa facile omitenda, maxime pensato incommodo, quod oritur tunc forte posset ex Missæ omissione.

29. Si non prævidetur ante est pariter distinguendum: si enim, quod defecit, est de substantialibus, idque prævideatur, incepta Missa, sed ante consecrationem, potius est Missa omitenda, quam proseguenda, quia melius est non celebrare, quam celebrare indebitè. Ita idem *ibid.* sect. 1. initio. Si vero advertatur defectus post consecrationem, prosequi omnino Missam debes, cum non sit Sacrificium incompletè relinquendum Sic *ibid.*

30. Quod si quod defecit non sit de substantialibus, tunc servanda est illa regula *ibid.* sect. 2. §. 1. igitur, ut pensata gravitate, vel levitate rei, quæ defecit, incommodo, quod sequitur, scapdalo, quod oriri possit, &c. id facias, quod melius tibi videbitur; Nec scrupulosè te geras, nam quodcumque bona fide, in illa turbatione facias, coram Deo factum bene censetur. Imò hæc est universalis doctrina, in similibus perturbationibus, etiam in rebus gravissimis, atque ad eam etiam in Missæ substantialibus, quam tradit ex Navarr. & Sylvio, Diana p. 2. tract. 14. resol. 70. sine, & ratio esse potest, quia ea, quæ bona fide fiunt in illa perturbatione, non præsumuntur ita deliberatè facta, ut saltem ad mortale pertingant. Cætera huc pertinentia, partim dicta sunt sparsim in toto hoc opere, partim in loco proprio dicentur cum de Defectibus in Missa occurrentibus agemus infra toto Capite octavo.

Ne quid addatur in Missa.

1. Deo pari, imo majori ratione, nihil esse addendum in Missa. Ita Suar. de Sacram. d. 83. sect. 2. §. Dico Tertio. Majori, inquam, Tum quia ex gestu suo gravior est culpa commissionis, quam omissionis; Tum quia hic est majus periculum superstitionis; cum facilius, imò, & gravius superstitioni fiat addendo, quam omitendo: Tum quia expresse id cavetur à Tridentino, & Pio V. supra §. 1. n. 7. citatis. Non tamen deest hic excusatio ducta ex parvitate materiæ, & inadvertentia, ut similiter dictum est in præcedentibus.

Nihil addendum in orationibus.

2. Hinc infero primò, Sacerdotem, si non ad mutandum Ritus Missæ (sic enim, ut ex dictis constat, graviter sine controversia peccaret) sed ut privata persona, etiam dum secretè orat, adderet in Missa aliquam Orationem, v. g. *Pater*, & *Ave*, *Psalm*, *David*, vel quid simile propter suam peculiarem devotionem,

peccaturum, quia addit aliquid, quod non est in littera.

3. At S. Franciscus Xavierius, Indiarum apud ex Vita ejusdem apud Lucnam, lib. 5. cap. 1. Communionem, addebat orationem à se Latine positam pro conversis Indorum, quæ hæc est.

Aterne Deus, omnium rerum Creator, memorum animas te solum creasse, quas ad imaginem, & similitudinem tuam fecisti. Ecce Domine in opprobrium tui, & in ignem inferi. Memento Domine filij tui, qui sanguinem suum tam liberaliter effudit pro illis passus est. Ne permittas, Domine, eundem Filium tuum nostrum à Paganis amplius contemni, sed pro Sanctorum electorum tuorum, & Ecclesiæ beatissimæ dem Filij tui Sponsa placatus, recordare miseremur, & oblitus Idolatriæ, & Infidelitatis eorum, fac ut illi que agnoscent, quem misisti Jesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, qui est Salus, Vita, & Resurrectio per quem salvati & liberati sumus, cui sit gloria per sæcula sæculorum. Amen.

Respondet. Fortasse id obtinuit à Sancta Sede, si i. scilicet, utpote Summi Pontificis in iis Regibus, & ibi id indulsit? Quid si Sanctus vir, dicitur, ratione, id fecerit?

4. Audivi quemdam propugnante pro S. Xaverio dicentem eum ante Tridentinum, & Pium V. ad hoc fuisse; Nam Concilium Trid. conclusum fuit à Pio IV. Anno Domini 1563. ex Bellam. in Conc. & Pij V. supradicta Constitutio prodit anno 1564. ibique vita gloriosè defunctus est anno 1593. Lucena in vita Xaverij lib. 1. cap. 12.

Sed est minus sufficiens excusatio. Primò, quia non debuit Sanctissimus Vir recedere in re tam parva ab ordine Missæ tot annos ab Ecclesiâ receptæ: Imò ante multos annos id cautum à Sacris Congregationibus etiam fuerat in Concilio Cartaginensi tertio, convocato anno 397. (quod licet fuerit Provinciale, non tamen tamen fuit in sexta Synodo Generali Trid. habetur can. 23. Nemo precibus aliunde descriptis nisi prius eas cum instructioribus fratribus consulat. Milevit. c. 12. quod fuit sub Innocentio I. habundantè deinde confirmatum anno 408. caverit imperatores debere esse à Prudentibus tractatas, & in Concilio Synodo approbatas. Vide Mauritium de Gueg. in de Garita. Conc. Trid. seu coll. Conciliorum.

5. Infero secundo, in Orationibus, seu Collectis nominant Regem, Reginam, filiosque, non recedunt excusantur tamen à mortali ex levitate materiæ, & cubi ex antiqua consuetudine jam præscripta.

Nihil addendum in Canone.

6. Infero Tertio, in Canone à Regularibus nominandum suum Generalem, sed Episcopum in loci inquam, non Sacerdotis, quod notatur propriè in canonicis (Ita Gavanti. in Rubr. Miss. p. 2. T. 1. n. 11. Si tamen illum aliquando nominent, non peccaturos (leve enim id ex se est) nisi veniantur.

7. At Sacra Congregatio apud eundem, & Diana p. 2. tract. 14. resol. 40. declaravit esse mortale, Responsum tunc ita fore, cum fieret, vel ad mutandum ritum, ex contemptu Episcopi, vel quid simile: ceterum non puto id, quod ex se leve est tactam Congregationem voluisse sub mortali præcipere. Rodriguez in Summa tom. 4. cap. 51. n. 13. apud cit. Dian. docet non peccare mortaliter ab eo, qui ignorat hanc declarationem authenticam. Rectè. Cum igitur hæcenus non constet esse authenticam etiam ex hoc capite confirmatur sententia.

8. In eodem Canone Pium V. concessisse Regem in Hispaniis, notat Gavanti. *ibid.*

9. Infero Quarta, similiter non licere addere in Canonem nomina Sanctorum, etiam Patroni loci. Patet à fortiori, cum nec fieri debeat in Litanis, quod intelligendum de publicis coram populo. Ita Sacra Rituum Congreg. 22. Mart. 193. apud Gavant. in Man. Episc. Litanie. n. 5.

Hinc hac occasione advertitur, nec per se idem licere in Confectione Generali, quæ dicitur initio Missæ; per se (inquam) nam cæterum satis levis materia est, & usurpari à Regularibus nominando suum sanctum Patriarcham sine scrupulo non raro video.

Nihil addendum in instrumentis Sacris. Vbi de Duplici Pallam.

10. Infero Quinta. Quid dicendum de eo, qui addit aliquid præter consuetam in Sacro Ministerio? Et quæstio esse solet, de iis, qui adhibent Pallam, alteram quidem pro cooperando Calice, ut moris est, alteram vero ad recipiendum Sacram Hostiam supra Corporale, ipso uno Corporali non contenti.

De hac re non nisi verba Gavanti in Rubr. Miss. p. 2. tit. 1. n. 1. lit. M. fin. hic iuvat exhibere. Qui duplicem adhibent Pallam (inquit) alteram pro Calice, alteram pro Hostia, approbante, ut aiunt, Summo Pontifice, non sunt reprehendendi, non tamen imitandi sunt ab aliis sine Pontificis facultate: esset enim additio Ritus, quæ est à Pio V. prohibita. Hac Gavantus. Et rectè, si enim id Pontifex concessit, locus non est quæstioni.

CAPUT VI.

Quales Missæ à Capellano, vel Sacerdote sint recitandæ.

Missæ vel celebrandæ sunt ex devotione, vel ex stipendio accepto, vel ex promissione, vel ex iuncta quapiam obligatione; & de singulis quæri potest, quales Missæ sint recitandæ. De singulis ergo separatim.

§. I. Quales Missæ ex devotione liceat recitare.

1. Illas licet, quæ à Rubricis Missalis præscribuntur. Præscribuntur autem regulariter eæ, quæ concordant cum Officio illius diei: nam etiam in festis simplicibus iuxta Rubricas fieri, si non sæpè, sed raro, & ex causa fiat mutatio. Licet enim in Rubrica Missæ votivæ, num. 3. dicatur, votivæ posse dici pro arbitrio Sacerdotis, quocumque die Officium non est duplex, tamen in Rubrica quæ ponitur ante ipsas Missas votivas de Sanctiss. Trinit. & sequentib. sic habetur. Sequentes Miss. votivæ licet pro Sacerdotis devotione quacumque die dici possint per hebdomadam, quando festum non occurrat, hoc tamen passim, nisi rationabili de causa fieri non debet, sed quoad fieri potest Missæ cum Officio conveniant, & in Rubric. quæ ponitur ante Missas votivas Beatissima Virginis. Quæ Missæ votivæ diei dici possunt, quocumque die, nisi fuerit Dominica, vel Officium duplex. Vbi rectè notat Gavantus in Rubric. Miss. p. 1. tit. 4. lit. O. idem propter paritatem rationis, esse in omnibus votivis, ut nimirum passim non dicantur in Dominica, vel Officio duplici.

2. Ex his ergo Rubricis simul unitis colligimus primò arbitrium Sacerdotis, vel eiusdem devotionem non esse hic ample, sed aliquantulum strictè intelligenda; nempe pro arbitrio, seu voluntate rationabili, & ex causa.

3. Secundò, iuxta Rubricas, regulariter non licere Missas votivas vel pro Defunctis (quæ ad votivas redeuntur) celebrare, in die Dominica, in festo duplici. Et in iis omnibus diebus, in quibus prohibetur fieri de

festis, duplici. Argumento nimirum sumpto à fortiori atque aded non posse celebrari votivas infra Octavam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Feria quarta Cinerum, in Hebdomada majori, in Vigiliis Natalis Domini, & Pentecostes. In cæteris vero licere. Illos dies, non permissos, seu prohibitos; hos vero, permissos vocabimus, in posterum. Dixi (regulariter) quia excipiuntur causæ graves, quando etiam in festis, sed non maioribus conceditur à Rubricis cantari duas Missas. Alteram Votivam solemnem cum Gloria, & Credo, in parametis convenientibus, v. g. de Eucharistia, quando solemniter est exponenda, altera de eadem corrente. Dixi iterum (regulariter) propter quasdam concessiones, de quibus mox num. 8. 13. 14. & quidem quando favent similes concessiones, vocabimus deinceps, claritatis gratia, dies concessos. Patet quis ad maiorem instructionem, quanam existimandæ sunt graves causæ.

Respondeo, quæ faciunt ad bonum Reipublicæ, & Principis, vel Prælati, qui Reipubl. caput est. Hinc necessitas pluvie, ingruentis belli, grassantis pestis, vel mali cuiuscumque universalis, sicut dat causam processionis generalis, sic & Missæ prædictæ; salus item ex infirmitate periclitantis Summi Pontificis, Episcopi, magni Principis: Comitum item Generalia, vel Provincialia Regularium, & expositio Eucharistiæ tum in diebus ultimis Bacchanalium, tum in cæteris diebus pro illis locis, ubi per gyrum toto anno Oratio quadraginta horarum celebratur: quia pertinent ad bonum commune; sicut etiam solemnes gratiarum actiones pro impetrata communi gratia, huc redeuntur.

Nota autem Gavantus part. 2. in Rubric. Miss. tit. 14. num. 2. & 3. in dicta solemnè expositione Eucharistiæ, debere cantari Missam votivam de Sacramento, quæ habetur circa finem Missalis, non autem festivam Corporis Christi (nisi casus accideret infra eisdem Octavam) & tempore Paschali addendum esse Alleluia, sicut in cæteris votivis: dici item debere unam tantum Orationem cum Gloria, & Credo (unde videtur colligi, non oportere in fine Missæ recitare Evangelium diei) & Præfatione de nativitate, quia solet esse publica causa, non autem hæc convenire in Missis privatis.

Advertit denique Lazana tom. 1. c. 21. n. 27. quando in dictis occasionibus adhibenda sunt ex Rubricis paramenta violacea, consequenter in Missa solemnè omitti debere Gloria, & Credo.

5. Iam verò duo hic restant inquirenda. Primò, quod peccato peccant, qui dicta non observant. Secundò, quæ sunt causæ rationabiles non observandi.

Quid peccet, qui Votivam, vel aliam à corrente, etiamse currens sit duplex, sine causa celebrat.

6. Dico, consulendum quidem esse, ut id non fiat, tamen si fiat, non puto esse (secluso contemptu, & animo introducendi novum Ritus) mortale, saltem in Missis privatis. Ita Bonac. citans Azor. Rignald. Sorum, Medinam, aliosque, de Sacram. d. 4. quest. ult. part. 7. §. 3. num. 2. Ratio est, quia non apparet de hoc latum esse grave præceptum, cum solæ Rubricæ id non offendant, quæ ut supra cap. 5. §. 1. diximus, interdum solam consilium inducunt. Esse veniale ego non dubito, quia Rubricæ de hac re, cum continent magnam convenientiam: sitque in contrario aliqua boni Ordinis turbatio, videntur in praxi esse receptæ sub veniali, nisi excuset causa aliqua, de qua mox. Quamvis non negem probabiliter suarium de Sacram. disp. 81. sect. 3. §. 1. Dico primo, sequiturque Portella dub. reg. V. Missa, num. 7. in Missis privatis (nam in solemnioribus maior est rigor observandus, ex Bonac. de Sacram. d. 4. quest. ult. §. 7. num. 3.) nullam culpam agnoscere, cum non sit ullum de hac re, ut diximus, præceptum